

- quod peto aut quod volō, parentes meōs ut conmonstres mihi.
- 5 *SO.* obsecro, mi gnate, nē istuc in animum inducas tuom  
alienum esse te. *CL.* sum. *SO.* miseram me, hoccin  
quaesisti, obsecro?
- ita mihi atque huic sis superstes ut ěx mē ātque ex hoc 1030  
natus es ;
- et cavē posthac, si mē amas, umquam istuc verbum ex te  
audiam.
- CH.* at ego, si me metui', mores cave ĩn te esse istos sentiam.
- 10 *CL.* quos? *CH.* si scire vis, ego dicam : gerro iners fraus  
helluo  
ganeo's damnosu' : crede, et nostrum te esse credito.
- CL.* non sunt haec parenti' dicta. *CH.* non, si ex capite 1035  
sis meo  
natus, item ut aiunt Minervam esse ex Iove, eā causa magis  
patiar, Clitipho, flagitiis tūis me infamem fieri.
- 15 *SO.* dī ĩstaec prohibeant! *CH.* deōs nescio : ego, quod  
potero, sedulo.  
quaeris id quod habes, parentes ; quod abest non quaeris,  
patri  
quo modo obsequare et ũt serves quod labore invenerit. 1040  
non mihi per fallacias adducere ante oculos . . pudet  
dicere hac praesente verbum turpe ; at te id nullo modo  
20 facere puduit. *CL.* eheu quam nunc totu' displiceo mihi,  
quam pudet ! neque quod' principium incipiam ad placan-  
dum scio.